

bissimæ singularitatis, licet vellet illa, sic si posset esse locus obtinendi. Quod autem efficaciter voluit, scilicet manere in sua singularitate, et excellentia sine dependentia a beneficio speciali gratiæ Dei, hoc semper efficaciter voluit, et modo vult, etsi cum tanto damno suo, quod etiam tunc non recusavit, quia non ignoravit.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur illas auctoritates non convincere.

Ad primam dicitur Angelum recte appellari a Damasceno semper mobilem, et omne arbitrium creatum esse mutabile, sed non dicit esse mobilem sic, id est, per retractionem, et postquam semel aliquid voluit. Hoc non dicit Damascenus. Verificatur autem semper esse mobilem, vel circa diversa objecta quæ de novo accidunt, et circa quæ Angeli habent novos affectus, licet semper sub eodem fine quem prius elegerunt. Et circa ipsum fuerunt mutabiles antequam determinate eligerent inter primum, et secundum instans, non postea, nec contra hoc dicit Damascenus. Similiter cum dicant sancti solum ex gratia Dei esse immutabiles in bono, verissimum est: licet enim Angelus ex proprio modo operandi petat inflexibilitatem post electionem, tamen quod ista sit in bono, et non in malo ex magna Dei gratia est, quam si suspenderet, in malo obstinerentur. Per gloriam autem redduntur immutabiles, etiam quoad supernaturalia, quod ex natura sua non habent. Ad auctoritatem Fulgentii respondetur illam conditionalem esse verissimam, sed non supponere Angelum esse mutabilem postquam semel elegit, sed loquitur de conversione ad bonum ex parte gratiæ, et virtutis ad eam requisitæ. Et dicit quod si gratia, et initium resumendi bonam voluntatem

esset homini naturale, etiam Angelo, quantum est ex parte virtutis, seu virium, quæ ad id requiruntur: ista enim virtus supernaturalis est, quæ quidem supernaturalitas, et virtus, si esset naturalis homini, etiam Angelo, et sic procedit illa conditionalis Fulgentii. Sed quantum ad exercitium hujus virtutis, modumque operandi, ut scilicet si homo potest ex natura sua esse reducibilis postquam voluit aliquid, etiam Angelus reducibilis sit, quantum ad hoc Fulgentii conditionalis non procedit, nec ab ipso ponitur, sed solum quod si ex parte supernaturalitatis, et excellentiæ esset homini connaturalis illa gratia, etiam Angelo.

ARTICULUS III.

Quomodo spiritus torqueantur ab igne?

Inter pœnas sensus quæ in damnatis sunt, et pertinent omnes ad afflictionem, et dolorem, seu tristitiam quam voluntas concepit de objectis sibi dissonis, et contrariis, præcipua, et difficilior ad explicandum est tortura, quam spiritus patiuntur ab igne, cum iste sit corporeus, illi extra omnem corporeæ actionis sphaeram. Ideo aliis omissis, quæ commodius in prima secundæ circa peccatorum pœnas explicabuntur, de hac solum pœna in præsentem agemus.

DUO PRÆSUPPOSITA.

I. Primo, supponendum est duplicem dolorem, vel tristitiam distinguere scilicet formalem, et objectivam. Formalis dolor est actus voluntatis seu appetitus refugientis malum sibi conjunctum, a quo patitur vel gravatur. Unde res caren-

tes appetitu sentiente, vel intellectivo, pœnæ, et doloris capaces non sunt. Dolor objectivus est illud objectum disconveniens, quod refugit voluntas, v. g. vulneratio, verberatio, adustio, etc. In dæmonibus ergo certum est non esse dolorem, qui est passio, seu actus appetitus sensitivi, quia carent potentiis corporalibus, et sensitivis. Dari autem dolorem qui sit actus voluntatis refugientis, et tristantis de cruciatu illato, certissimum est, quia de fide est dari in dæmonibus cruciatum, non solum qui pertinet ad pœnam damni, propter bonum gloriæ amissum, sed etiam qui pertinet ad pœnam sensus, et mediante igne infertur: dicitur enim II Petri II: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum tradidit cruciandos*: Apocalyp. XX: *Missus est diabolus in stagnum ignis, et sulphuris, ubi bestia, et pseudopropheta cruciabantur die ac nocte*. De quo etiam igne dicitur Matth. XXV: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. Non paratur autem ignis ille, nisi ad cruciatum, et supplicium, de quo ibi subditur: *Ibunt hi in supplicium æternum*. Et de eodem dicitur Isaiæ XXXIII: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quare cruciatum in inferno futurum, et non solum pœnam damni, indubitata fides est. Quod etiam constat ex Innocentio III in c. Majores, de baptismo §. Sed ad hæc, ubi definit actualis peccati pœnam esse perpetuum cruciatum.

II. Secundo, supponendum est tamquam certum, ignem illum quo cruciantur spiritus in inferno esse corporeum. Quod aliqui negaverunt, existimantes illum ignem, qui cruciaturus est spiritus, esse ipsam conscientiam peccatorum, quæ metaphorice dicitur ignis, et vermis,

de quo dicitur Judith. XVI: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum ut urantur, et sentiant in sempiternum*. et Isaiæ LXVI: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*: sed constat quod vermis intelligitur metaphorice, quia in inferno non erunt vera, et propria animalia præter humana corpora: ergo etiam ignis metaphorice intelligendus est. Et quidem S. Hieronymus in capite LXVI Isaiæ, et epistola LIX, c. II inter Origenis errores refert, quod ignem inferni non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum. Quæ sententia arrisit Calvino, aliisque novatoribus, qui negant ignem inferni, et purgatorii, solumque pœnas damnatorum dicunt esse terrores, et anxietates quibus anima Deum sibi iratum, et infestum cogitat, ut refert Bellarminus tomo primo, lib. IV de Christo, c. VIII. Catharino etiam attribuitur, quam libro de præmio bonorum, et supplicio malorum dixerit ignem inferni non esse sensibilem, sed pœnam spiritualem illo igne designari.

III. Cæterum indubitate tenendum est ignem illum esse materialem, et corporeum, et oppositum pro errore deputandum est, quia Scriptura frequentissime nominat ignem pro futura pœna damnatorum, non solum pro animabus separatis, et dæmonibus, sed etiam pro corporibus damnatorum post resurrectionem, et diem iudicii: de illis jam resuscitatis dicitur Matth. XXV, quod: *Ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*, corpora autem non cremabuntur igne spiritali, et metaphorico, sed vero: cum ergo idem ignis ponatur pro diabolo, et pro corporibus damnatorum, manifestum est quod ille ignis corporeus est. Et ita est communis patrum traditio, et expositio, ut patet ex S. Hierony-

mo locis citatis, ex S. Gregorio IV dialogorum, cap. XXXIX interrogans, an ignis ille corporeus sit, respondet: «Corporeum esse non ambigo.» Augustinus XXI de civitate, c. X: «Adhærebunt, inquit, spiritus incorporeis ignibus cruciandi, non ut ignes eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, sed, ut dixi, miris, et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.» Videndus est etiam idem S. Augustinus XX de civitate, cap. XXII; S. Cyprianus libro de laudibus martyrii, cap. XII luculenter infernum describens: «Sæviens locus, inquit, cui nomen gehenna est, magno plangentium murmure, et gemitu, et cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem sæva semper incendia camini fumantis expirat. Globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, cum in se ipse convolvit quidquid ardoris emissi eadem flumina cruciaret.» S. Julianus archiepiscopus Toletanus qui citatur a magistro in dist. XLIV, in quarto sententiarum: «Si vivens hominis spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne tenetur?» Denique, sequuntur hoc omnes scholastici doctores cum magistro ibidem, et D. Thomas opusc. II, c. CLXXIX, concludit quod: «Pœna ista ignis corporalis est, et omnia quæ in Scriptura de hoc igne inferni dicuntur, ad litteram, et non per metaphoram esse intelligenda.» Videatur de his latissime Suarez lib. VIII de Angelis, c. XII.

IV. Nec obstat comparatio illa vermis, et ignis supra facta: vermis enim non potest convenienter intelligi, nisi per metaphoram, scilicet pro ipso conscientiæ remorsu, eo quod post diem judicii non manebunt animalia aliqua, quæ cor-

pora depascent damnatorum, quia cessabit omnis generatio, et corruptio, et omnia hæc finienda erunt, quæ ad res mixtas, et viventia pertinent præter hominem, quod de igne non currit, qui est elementum, et semper permanebit. Unde Augustinus inter ista duo ponens differentiam in libro XX de civitate c. XXII: «In pœnis, inquit, malorum erit inextinguibilis ignis, et vivacissimus vermis. Ab aliis autem aliter atque aliter exponitur. Alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem, quod esse credibilius videtur.» Idem affirmat S. Thomas in IV, dist. I, q. II, art. III. Quod vero aliqui sancti aliquando insinuent illum ignem non esse corporeum, ut S. Ambrosius lib. VII in Lucam, titulo de parata cœna, ubi inquit: «Neque ignis perpetuus est flammarum corporalium, neque vermis est corporalis.» Et S. Augustinus XII de Genesi ad litteram, c. XXXII idem negare videtur. Hæc et similia explicari debent vel de proximo contristante, quod est apprehensio spiritalis, non de remoto, quod est ignis corporalis, vel de virtute spiritali, qua a Deo agitur ille ignis ut instrumentum ejus, non ut virtute propria corporea utens. Videatur D. Thomas in additionibus q. LXX, art. III ad primum.

His ergo suppositis, difficultas currit, quomodo igne ille corporeus torqueat spiritus, an physice aliquid spirituale illis imprimendo, et quid hoc sit, quomodo ab igne corporeo imprimatur: an vero solum moraliter, quatenus objectum tristitiæ est, et quomodo cognitionem moveat, et voluntatem excitet ad dolorem, si nihil physicum, quod contrarium et disconveniens sit in spiritu imprimat realiter, et physice. Quæ disputatio sua etiam diffi-

cultate non parum auctorum ingenia torquet.

VARIÆ SENTENTIÆ.

V. Duo sunt, in quibus variæ auctorum sententiæ dividuntur.

Alterum, quid causet ignis in spiritibus, quo eos cruciet, et torqueat.

Alterum, quo modo id causet ignis. Nam id quod cruciat illos, non videtur esse corporeum, cum nulla qualitas, modusve corporeus ipsis spiritibus sit contrarius. Si vero spirituale aliquid est, non apparet, quomodo ignis corporeus id producat, seu efficiat, physice, an moraliter, ut propria, et principalis causa, an ut instrumentalis. Quid etiam sit illud spirituale quod sic cruciat, cum non videatur repugnans?

Igitur ut possimus in ordinem redigere tantam diversitatem sententiarum, dico duas esse classes, et quasi præcipua capita sententiarum circa id quod ignis causat; duas etiam circa modum quo causat cruciatum illum. Circa id quod causat ignis in spiritibus, quos torqueat, prima sententia, docet ignem causare in spiritibus quos torqueat aliquid morale, scilicet aliquid pertinens ad cognitionem, seu apprehensionem, vel aliquam speciem, qua eliciatur cognitio apprehendens illum ignem, ut nocivum, vel aliquo alio modo tristitiam inferens, quod tamen diversis modis explicant auctores, qui hanc viam sequuntur. Nam quidam affirmant per talem apprehensionem solum formari iudicium alicujus mali, seu nocumenti, non veri, sed apparentis, ad eum modum quo nos aliquando ex phantasia delusa, vel somniantem prægravamur. Itaque in istorum auctorum sententia tor-

menta illa solum sunt sonniata. Alii vero putant causari per ignem apprehensionem boni amissi, id est, beatitudinis, a qua sententia non multum abhorret Arrubal in præsentis disp. CLXXI, cap. I, qui dolorem illum illatum ab igne, censet non esse distinctum a dolore, quem sentiunt spiritus ex amissione beatitudinis, solumque dicuntur pati ab igne corporeo, quatenus virtute divina sit ut actus ille vitalis, quo apprehenditur, et sentitur illa pœna, seu amissio tanti boni dependeat ab igne, non ut a causa principali, quia vitalis non est, sed tamquam a causa instrumentali. Alii denique in hac parte existimant ignem producere divina virtute speciem quamdam intentionalem impressam, vel expressam, qua spiritus vehementissime applicatur ad cogitandum de illo igne, vel de alio simili objecto nocivo; et ista coactio violentiam quamdam, et tristitiam infert voluntati. De quibus sententiis quæ solum aliquid intentionale, vel morale provenire dicunt ab igne, videri potest D. Thomas in IV, dist. XLIV, q. III, art. III; Suarez lib. VIII de Angelis, cap. XIII et Vasquez hic disp. CCXLIII tribus primis capitulis.

VI. Alia sententia, seu classis auctorum tenet ignem illum non solum torquere objective tamquam causans apprehensionem, vel speciem contristantem, sed etiam effective, quatenus aliquid physicum ponitur in spiritu, quod sit illi malum, et disconveniens, eo quod, ut S. Gregorius dicit IV dialog. c. XLII: «Incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur.» Ubi distinguit experientiam passionis ab apprehensione. Quid autem sit hoc malum causatum in spiritu varie explicant auctores hujus sententiæ. Quidam dicunt produci ab igne qualitatem quamdam spirituales dissonam Angelo, sicut

producitur qualitas dolorifera in corpore, quam sententiam sequitur Suarez ubi supra cap. xv et tomo iv in tertiam partem, disp. XLVI, sect. II. Alii dicunt solum produci ubi, seu detentionem in loco, ne egrediatur quo velit. Quæ sententia Cajetano, et Thomistis communiter tribuitur ad hanc quæstionem LXIV, art. iv, et eandem sententiam ex parte sequitur Vasquez ubi supra cap. vi, licet aliis etiam occultis modis nobis ignotis affirmet Angelos torqueri. Alii existimant eandem læsionem, seu dolorem quem ignis infert corpori animato imprimi in anima, seu spiritu separato, perinde ac si corpora ipsa animarent, sicque in dæmonibus causatur ille dolor quem ignis causat modo in nostra anima mediante carne. Quæ sententia attribuitur Soto in iv, dist. L, quæstione unica, art. II et multis discipulis D. Thomæ placuisse docet Bagnez super hanc quæstionem LXIV, art. iv, dubio III.

VII. Circa secundum quod supra proposuimus, nempe quomodo ignis cum fit corporeus, causet rem illam quæ tantum dolorem imprimi spiritibus, præsertim si est res physica, et spiritualis, duplex etiam sententia est.

Prima, affirmat rem illam produci ab igne tamquam ab instrumento physico Dei. Huic sententiæ subscribunt omnes, qui affirmant dari instrumenta physica ad producendam gratiam, et effectus supernaturales: eadem enim ratio est de illa qualitate spirituali cruciativa. Communiter autem id tenent Thomistæ ad tertiam partem quæstionis XIII et q. LXII, ubi etiam videri potest Suarez id latissime propugnans, licet ponat potentiam obedientialem activam (quam communiter rejiciunt Thomistæ) ut instrumenta ista physica dari possint. Alia sententia quæ istam physicam efficientiam

instrumentalem non admittit, solum concedit ignem inferni moralem causalitatem habere in rem illam quæ producitur a Deo ad torquendos spiritus. Quæ sententia denegans causalitatem istam physicam est Scoti, cui subscribit Vasquez, et alii recentiores hujus temporis, ut citatis locis tertiæ partis dici solet.

RESOLUTIO.

VIII. Non est disputatio ista occupanda in præsentia longa illa, et proluxa difficultate de causatione physica instrumentali rei corporeæ respectu effectus spiritualis: hæc enim difficultas suum specialem locum habet in tractatu de Sacramentis ad quæstionem LXII in tertia parte, vel etiam quæstione XIII agendo de potentia animæ Christi. Et ut ab isto puncto nos expediamus dico, quod juxta communem D. Thomæ, et Thomistarum sententiam nulla invenitur implicatio quod res corporea assumatur a Deo tamquam instrumentum physicum ad producendam gratiam, seu effectum aliquem spiritualem recipiendo ad hoc virtutem elevativam Dei, qua actio ejus physica præter suum proprium effectum operetur, et producat spiritualem effectum, sive actio illa propria instrumenti operetur aliquid in ipsomet subjecto in quo fit effectus spiritualis, sine non, sed tantum operetur circa aliud subjectum, de quo videri possunt quæ diximus in physica, q. xxvi, art. II et supra in hoc tomo, disp. xviii agentes de instrumento creationis: cum ergo non repugnet quod corpus aliquod assumatur ut instrumentum physicum spiritualis effectus, non est cur denegemus igni corporeo talem causalitatem, si vere cruciatus ille est per aliquid spirituale phys

cum in anima, seu spiritu impressum: sic enim cum omni proprietate intelligitur ignem torquere, et affligere spiritus, si physice producit id quo torquentur, sicut Sacramenta dicuntur in omni proprietate sanctificare nos, si gratiam physice producunt in anima per modum instrumenti. Sed quia causalitas ista instrumentalis rei corporeæ in spiritum, valde occulta, et mirabilis est, solumque ab infinita potentia Dei expediri potest, ideo optime dixit Augustinus ubi supra XXI de civitate, c. x: « Miris, et ineffabilibus modis ignem illum spiritus cruciare. » Alia vero sententia quæ talem causalitatem physicam non admittit, solum fatetur moralem causalitatem ignis in torturam spirituum, non quia solum aliquid morale torqueat dæmones, sed aliquid verum, et physicum, non tamen physice procedens ab igne, sed a solo Deo ad præsentiam ignis, sicut ad præsentiam signi, seu virgæ judicis torquet cruciat reum. Et sic solus Deus est qui physice, et formaliter torquet dæmones in hac sententia; ignis vero solum se habet ut signum talis torturæ: et sic dicitur moraliter torquere.

Relicta ergo ista controversia de causalitate physica instrumentali, de qua tamen possunt videri quæ diximus citatis locis, in præsentia solum est videndum illud primum quod præsentis loci proprium est, scilicet quid sit illud quo torquentur spiritus ab igne, sive moraliter, sive physice rem illam operetur.

IX. Dico ergo primo: Non potest explicari cruciatus ignis in spiritibus per hoc solum, quod ignis sit causa apprehensionis cruciantis, non autem ipsimet cruciatus effective. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma loco citato ex quarto, dist. XLIV, et sequuntur communiter auc-

tores, qui videri possunt apud Suarez, Vasquez et Bagnez locis citatis.

Ratio istius conclusionis supponit unum principium valde certum, quod pœna illa quæ ex igne infligitur spiritibus non est phantastica, neque falsa, sed vere, et in re affligens, nec ad hoc ut torqueat, indiget falsa, et deceptoria apprehensione Angeli, alioquin si non deciperetur spiritus, non torqueretur: « Non est autem probabile (ut inquit D. Thomas loco citato) quod animæ separatæ vel dæmones, qui magna subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur » et non minus inconueniens est, quod non possit Deus torquere spiritum per ignem, nisi decipiendo vel permittendo deceptionem in eo: si vero veritatem manifestaret, vel relinqueret ipsum apprehendere id quod est in re, hoc ipso cessaret omnis cruciatus: hoc ergo principio supposito, vel ignis crucians facit apprehendere aliquid, quod vere, et in re affligit Angelum, vel non, sed solum illa apprehensio est phantastica, et in re nihil est contrarium, et nocivum ipsi spiritui condistinctum ab illa apprehensione, et quasi objectum ejus. Si hoc secundum dicatur, incidimus in inconueniens propositum, quod illa pœna non est vera, et propria, sed solum quædam illusio pœnarum. Si dicatur primum: ergo restat isti sententiæ explicare, quid sit illud quod vere, et in re affligit Angelum condistinctum ab ipsa apprehensione: non enim potest affligere, nisi sit nocivum, et repugnans, seu disconueniens, quia quod est conueniens non affligit, sed delectat: ergo hæc sententia non se expedit a difficultate, sed magis illa aggravatur, vel potius a puncto difficultatis deflectit, explicans apprehensionem cru-

ciantem, sed non rem ipsam, seu objectum istius apprehensionis quod fit cruciatus : et utrum fiat a Deo immediate vel ab igne : aut si ab igne non fit, quomodo ab eo dicatur spiritus cruciari.

X. Quare omnes istæ sententiæ quæ ad intentionalem, seu moralem afflictionem recurrunt, quæ in apprehensione ipsa consistit, diminutæ sunt, non explicantes, quid sit illud objectivum afflictivum, quod in re tali apprehensioni correspondet : quod enim imprimatur aliqua species intentionalis ab igne ad affligendum spiritum, hoc nihil est, quia species non affligit ratione sui, cum sit perfectio ipsius intellectus, sed ratione objecti quod repræsentat, quia scilicet repræsentat aliquid nocivum ipsi cognoscenti, et hoc inquirimus quidnam sit præter ipsam speciem repræsentantem. Nec aliquid ad pœnam conducit quod dicatur illa species imprimi mediante corpore, quod est aliquid ignobilius Angelo, et subijci illi, quod aliquid indecorum, et afflictivum est. Sed hæc parvi nominis est afflictio : nec enim ignis imprimeret illam speciem virtute propria, sed divina, et hæc semper superior est ad Angelum : alias probaretur affligi animam ex receptione gratiæ per Sacramenta, quia rem ita spiritualem, et supernaturalem recipiunt mediante causalitate corporis, seu corporei Sacramenti. Nec denique ista aggravatio ignis explicatur sufficienter per hoc quod virtute divina facit vehementem applicationem ad apprehendendum aliquid nocivum. Nam apprehensio quantumcumque vehemens nisi sit circa aliquod objectum disconveniens, non affligit : constat enim quod circa aliquid delectabile vehemens applicatio afflictiva non est : si autem illa vehemens applicatio est circa aliquid nocivum distinctum ab ipsa apprehensione, hoc

inquirimus quid sit; et sic hæremus in eadem salebra. Itaque vehemens cognitio in Angelo nisi aliud ponatur, neque contristat, neque impedit alias functiones. Nam ipse vehementissime apprehendit seipsum, utpote sibi maxime conjunctum, et conveniens, et amabile, et beati summo conatu, et vehementia Deum apprehendunt; nec tamen ista vehementia impedit alias functiones, aut contristat, quare nisi assignetur objectum realiter contristans, et repugnans Angelo, super quod cadat apprehensio illa, et applicatio vehemens, nihil explicat ista sententia de dolore illato Angelis ab igne.

XI. Dices : Ignes in corporibus damnatis non habebit post diem iudicii actionem alterativam, et realem, sed solum intentionalem, quia illa corpora non corrumpuntur ab igne, nec dissolvitur temperamentum tactus : cessabit enim tunc omnis corruptio, et consequenter omnis alteratio realis, quæ corruptiva est, sed solum immittet species intentionales in sensus, et hoc sufficit ut dicatur affligere illa corpora: ergo similiter per actionem intentionalem, quæ ignis ille virtute divina immittat speciem non sensibilem, sed spiritualem in Angelum, dicetur illum affligere.

Respondetur ignem illum immittere speciem sensibilem in corpora damnatorum repræsentativam caloris vehementissimi illis corporibus conjuncti, qui licet non corrumpat illa corpora corruptione physica, est tamen qualitas valde disconveniens ipsi temperamento sensibili corporis, et de se valde impedit omnes functiones facultatum sensibilium, connaturali modo et convenienti fieri, et ita jam assignamus respectu corporum aliquid reale afflictivum præter apprehensionem et speciem repræsentantem, scilicet

conjunctionem caloris excessivi, et comburentis, non quantum ad corruptionem, sed quantum ad disconvenientiam temperamenti, quam acriter imprimi illis corporibus.

XII. Ex quo etiam manet refutata sententia p. Arrubalis supra relata, qui nihil explicat in pœna sensus illata ab igne præter dependentiam doloris formalis, seu tristitiæ de beatitudine amissa ab ipso igne, ut ab instrumento divino concurrente ad talem actum. Quæ amissio beatitudinis pertinet ad pœnam damni. Quod autem apprehensio, et tristitia de isto damno, et amissione beatitudinis dependet ab igne instrumentaliter, non superaddit novam pœnam ex parte objecti afflictivi, nec novam repugnantiam, seu disconvenientiam aut damnum affert ipsi spiritui : ergo non erit distincta pœna, seu cruciatus, pœna ignis, et pœna damni. Quod enim actus vitalis, quem ego elicio dependeat, vel non dependeat ab aliquo instrumento extrinseco in sui elicentia, non affert specialem pœnam, et afflictionem elicenti : supposito enim quod totum damnum de quo tristandum est, jam est factum, dependentia in elicentia actus tristitiæ, novum damnum aut jacturam non affert, sicut e contra posito objecto delectationis, et gaudii, quod actus eliciatur dependenter ab instrumento extrinseco, vel non, neque auget, neque minuit delectationem. Ergo similiter in hac sententia, posito damno beatitudinis nihil augetur de pœna per hoc quod spiritus tradantur igni, quia solum additur, quod actus ille doloris, qui circa tale objectum elicendus erat a sola voluntate, dependeat instrumentaliter ab igne, quod certe nihil pœnalitatis addit : nec enim propterea magis defatigatur, aut laborat voluntas in elicendo illo actu : si enim laboraret, et defatigaretur,

jam aliquid pœnale de novo poneretur in voluntate, et explicari deberet quidnam sit illud impedimentum. Ponere autem quod non magis torquentur spiritus per alligationem ad ignem quam sine illa, supposita pœna dæmoni, et missione beatitudinis, de ^{is} Xristandum sibi est, et solum ^{erebu} additur dependentia illius tristitiæ ab instrumento ignis, quod ^{nova} pœna non est, valde periculose diceretur : quis enim dubitet ex adhæsione, et conjunctione ad ignem crescere pœnam in damnatis præter amissionem beatitudinis? Et iterum variæ sunt pœnæ, et cruciatus ab igne illo provenientes, acerbioraque tormenta sunt in quibusdam, quam in aliis. Si autem cruciatus in hoc solum consistit quod dependeat actus vitalis tristitiæ ab igne, ut ab instrumento, non apparet quomodo ex tali dependentia major acerbitas cruciatus ignei sit in uno, quam in alio.

XIII. Dico secundo : Ignis torquet dæmones per alligationem, non solum extrinsecam quoad locum, et determinationem in illo, sed multo magis per alligationem intrinsecam, qua ipsæ potentiæ impediuntur, et alligantur plus, vel minus in ordine ad suas operationes præsertim externas in movendo se, et movendo alia. In prima parte hujus conclusionis nobiscum conveniunt Vasquez, et Suarez supra citati, quos etiam sequitur p. Alarcon tract. vi de Angelis disput. ix, cap. x. Sed differunt, quia censent non solum per alligationem, quæ est detentio in loco, sed etiam per alios modos cruciari dæmones : Vasquez quidem per alios modos nobis occultos, Suarez vero per qualitatem doloriferam : alii vero per detentionem in loco factam ab igne per causalitatem instrumentalem mortalem, ad modum quo Sacramenta causant gratiam, ut sentit